



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus XVIII. De coloribus Paramentorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

est, deinde simul tam in Imo quam 2do Choro se vertant ad altare, nisi forsan sit tempus cantandi SANCTUS. *Et ad Antiphonam quæ dicitur COMMUNIO*: sed quia sedere non præcipitur, ut patet ex verbis POSSUNT SEDERE, retinenda est antiqua consuetudo, juxta quam apud nos ad Communionem statur.

Ibid. *Ad alia stant vel genuflectunt*, esto enim genuflexio ab Elevatione usque ad PAX DOMINI non præcipiatur, nisi in Feriis & Vigiliis ut habes N. 5. non tamen prohibetur, sed Rubricæ liberum relinquunt: unde laudabilis consuetudo orandi in cruce retinenda est. Excipe festum Purificationis B. Mariæ Virginis, in quo candelæ accensæ in manibus tenentur: *ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem*, adeoque in dicto festo post Elevationem standum est.

## TITULUS XVIII.

### *De coloribus Paramentorum.*

**R**ubrica clara est, & videatur Directorium, in quo pro singulis diebus colores norantur. Mutatio coloris fit in primis Vesperis: si autem Vesperæ non sunt integræ, is color adhibendus est initio Vesperarum, qui convenit illi, de quo est Capitulum. Si Officium & Missa discordent, color altaris sequatur Officium, vestium autem Sacerdotis sit color Missæ conformis, quæ diversitas accidit in Rogationibus, & in Vigiliis infra Octavas, ac Missis defunctorum, in Missa verò solemni congruit, ut Antependium Altaris concordet cum colore Paramentorum Missæ.

Sabbato sancto & in 2dis Vesperis omnium Sanctorum, ponuntur duo Antependia ante altare, ut Sabbato sancto amoto violaceo, album. Et finitis Vesperis omnium Sanctorum amoto albo nigrum appareat.

Ad n. 2dum & 3tium hoc titulo ubi præscribitur, ut diebus Dominicis infra Octavas sit color albus vel rubeus pro ut Octavæ convenit,

nota

nota exceptionem : praterquam illis Dominicis, quibus tributus est color violaceus.

N. 5. *Violaceo colore utitur usque ad Missam Vigilia Nativitatis Domini inclusivè.* Unde Dalmatica Diaconi in dicta Vigilia cantantis Martyrologium violacei erit coloris.

In festo sacrorum Stigmatum adhibetur color albus ex Decreto S. Rit. Cong. In Vigilia S. Patris nostri FRANCISCI, violaceus, ut in aliis Vigiliis. In festo Martyrii, B. V. albus.

## TITVLVS XIX.

### De qualitate Paramentorum.

N. 3. **P**luviali utitur in Processionibus & benedictionibus quæ sunt in altari. Item in Officio Laudum & Vesperarum quando solemniter dicuntur, non in Matutinis, nisi exponendum Venerabile Sacramentum, ut in festo Corporis Christi. Sacrista igitur ad Vesperas pluviale exponat in omnibus festis, quando Pater Guardianus aut P. Diffinitor est Officiator, quæ nam illa festa sint videat infra Part. 4. Tit. 1. N. 7. & 11. præterea feria 2da Paschatis & Pentecostes, in festo S. Stephani. In omnibus festis B. V. excepto Præsentationis & Visitationis. In festo Ss. Nominis Jesu, & S. Antonii de Padua, in Dominicis Confraternitatis, si Vesperis jungatur processio: aliis temporibus sufficit usus superpelliciorum, nisi Præses ob speciales causas aliud disposuerit.

N. 4. *Cum Celebrans utitur pluviali semper deponit manipulum.* Idem tunc faciunt Diaconus & Subdiaconus. Et ubi pluviale haberi non potest coloris congruentis, in Benedictionibus quæ sunt in altari Celebrans stat sine Planeta cum Alba & Stola, in quo casu etiam Diaconus & Subdiaconus absque Dalmaticis & Manipulis assistunt: Diaconus tamen cum stola.

N. 7. *In Minoribus autem Ecclesiis predictis diebus juniorum Alba*